

essentiam a primis illis innominatis habent, et vitam, et motum. Et si a cœlesti motu: elementorum motus, et alterationes fiunt a primis illis, primo fient. Et Natura si quæ est universalis, inde quoque est. Ergo ex mente Aristotelis, Principia rerum plura quidem erunt, sed non ea quæ ipse labore maximo adstruere est conatus. Non primus motor, non Deus, non Mens, non reliqui cœlorum motores, non primum cœlum, non cœli reliqui, non eorum motus ulli, non natura universa. Quid ergo huic tam inconstanti, tam sibi non constanti facias philosopho? Quid item facias tribus illis suis principiis, formæ, privationi, casui? Nam principium, primum quoque est; forma vero prima non est. Prior enim est materia, deinde forma ei advenit, vel aliunde, ab effectore aliquo in eam inducta; vel e materiæ, ut loquitur Peripatus, ventre educta. Sed hæc forma, non principium, sed pars est compositi. Pars autem principium nullo modo totius dici potest, aut debet. Nomine ergo etiam est abusus; præterquam quod generatorum hæc forma est, mundi totius nullam umquam formam, aut assignavit, aut nominavit, nec Peripati Magister, nec Peripatus universus. Quid vero privatio formæ inter principia, fuit numeranda? Quæ quia nihil est, nihil potest, nihil efficit. Quæ suo confesso ens non est. Nullas ergo habet vires, nullasque ideo actiones. At principium, efficientiam nisi habeat, minime est principium. Quid vero casum, principium rerum esse dicemus? Quem Epicurus in totam rerum universitatem, quæ et tota casu facta sit, et casu etiam num constet: Aristoteles vero, in naturalium partem induxit, et partis principium hic, ille totius esse dixit. At si quis ambos interroget, quid nam iste casus sit, respondere nesciant aliud, et nequeant, quam quod sit, quædam vel non causa, vel causa per accidens. Quæ dum propria causa non est, non est causa. Nos enim dicimus, omne quod factum est, omne quod sit, a sua causa determinata, et propria factum esse, et fieri. Non ergo non causa. Non ergo a causa per accidens, quæ universalis esse possit dici. Adde quod et casum hunc in mundo ponunt, et in elementorum mutationibus: non autem ante, aut supra mundum. Nos autem principium quærimus, quod et ante mundum fuerit, et mundum constituerit. Non ergo casus, hoc principium esse potest. Iam vero, qui vel ignem, vel aerem, vel aquam, vel horum media quædam, mundi principia esse voluerunt, ad materiale principium, sicut et Chaos, et atomos, et Homœomerias, ea omnia retulerunt. Nos vero principium modo indagamus, quod mundi fuerit opifex, et effector. Stoicorum vero fatum, nostro seculo, nomine magis notum est, quam vel opere, vel viribus, vel essentia. Quæ enim de eo, hinc illuc sparsa dogmata leguntur, tam varie sunt relata, ut scire certo nesciamus, quid ea schola fati nomine tibi voluerit. Si vero, quod relatorum maior pars velle videtur, fatum sit εἰρημὸς causarum series, et cathena, unde sit εἰμαρμένη dicta, concedemus huius cathenæ summum, rerum omnium esse principium. Totam vero causarum cathenam, non unum principium, sed multa esse dicemus, sibi invicem subordinata; et omnia principiata esse potius, quam principium, quod supremum sit eius cathenæ, ac primum. Eorum vero quæ præcedente libro examinavimus nullum esse cunctorum principium, et tunc clarum fecimus, et brevibus etiam nunc confirmemus. Mundum, rerum quæ in eo sunt, putarunt quidam esse principium. Mundus autem corpus est, Corpus omne trine est dimensum. Dimensum omne est divisibile. Divisibile omne, est sui natura, si continue dividatur, corruptibile. Corruptibile nullum, non corruptibilium esse potest, principium. Sed et ostensum est antea, nec elementa, nec astra, nec cœlos, nec denique mundum, esse posse principium primum. Ergo neque corpus ullum. Est igitur ad incorporeas res confugiendum. Eæ non una sunt. Pauciores non sunt, quam sint nostratium rerum species. Multitudo hæc earum, vel est confusa, vel est ordinata. Confusio imperfectionem arguit magnam ita, ut neque in res natura factas, habere videatur locum. Ordinata igitur est. Ordo duplex, vel coordinationis æqualium, vel inæqualium subordinationis. Utrumque in Aristotele agnovimus. Priorem, quando dixit, supra extimam lationem, ordinata esse quædam æqualia, et ea æque prima, et æque suprema. Alteram in subordinatione earum substantiarum, quas credit, singulos movere cœlestium orbis. At has omnes, non posse rerum principia esse, ordo ipse earum facit manifestum.